

www.e-rara.ch

Iohannis Cluveri Historiarum totius mundi epitome

Clüver, Johannes

Vratislaviae, anno 1673

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-26421>

Praefatio ad lectorem.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

PRÆFATIO

AD
LECTOREM.

Vniuersi Orbis historiam exiguo includere libro aggredior, opus non meas tantum, sed humani generis vires egrediens. In eo si non omni respondeo expectationi, veniam; imo si alicui, laudem mihi pollicor à bonis. Nam cum ab ineunte aetate hoc studiorum genus non prorsus frigide tractassem, nec compendia, quæ exstabant, seu mihi, seu aliis facerent satis, commune desiderium ab eruditore aliquo pridem expletum concupivi. Sed frustra hætenus. Superioribus sanè annis, post alios Horatius Tursellinus famose ex nomine Jesu Societatis scriptor, singularem in contrahenda historia operam posuit, cum mediocri rerum copia & delectu, autorum, unde historia quæque petitur, nomina pleraque, ac styli insuper elegantiam adstrictamq; breuitatem coniungens. At sic tamen idem, in recentioris præsertim ævi actis, suæ factionis opinionibus indulgit, ut teneræ iuventuti veritatis nesciæ, haud parum abinde periculi cordatiores extimescant. Etenim eò nunc res humana devenerunt, ut, quicquid potentiorum quorundam placitis adversatur, quantavis veterem autoritate in literas relatum sit, tanquam hæreticum & falsum traducatur, id solum juri aut veritati habeatur consentaneum, quod corruptæ, ut nunc est, Ecclesie Christiana, & malè satis Rebus publicis aliquam seu excusationem, seu robur & stabilimentum videtur allaturum: Accedunt Chronologorum dissidia, historiarum studioso haud parum molesta; ac proinde ante omnia è medio, quantumcumq; fieri potest, tollenda. Cui rei annis proximis opellam quoq; nostram commodavimus, successu utinã felici; Factam tunc supputationem in hoc libello sequor, nihil dubitans, eam, quod certissimis Scripturarum fundamentis nititur, quam minimum erroris continere, iuvandaq; simul memoria esse rudiusculorum, quæis hunc imprimis sudorem nostrum impendimus.

Igitur levandæ memoriæ, peculiare temporum periodis titulos facere, & quasi notas imponere placuit, sacra juxta profanaq; historia haud male, ni fallor, competentes. Primum seculum, ubi nullâ Ethnicorum historiâ iuvamur, LONGÆVORUM appellavi, causa ut opinor, satis evidenti. Tantum enim illo ævo vivendi hominibus spatium fuit, ut quemlibet Patriarcharum ambulantiæ posses Bibliothecam salutare.

**

Alterum

PRÆFATIO.

Alterum DISPERSIONIS GENTIUM est, scilicet ex præcipua re gesta, quam sacra monumenta illis temporibus deputant.

Tertium, in quo manifesta Abrahamica familia ab Idololatriæ segregatio contigit, PATRIARCHARUM AC DEORUM ÆVUM haud injuria nobiscum appellaverit, qui populi sancti conditores, Abrahamum dico, Isaacum, Jacobum, Josephum, communia habuisse cum gentium Saturnis, Jovibus, Bacchis, tempore reputaverit.

Quartum deinde JUDICUM ET HEROUM SECULUM est. Nam potissimi gentium Heroës, quibus illa secundas, post fictitia sua numina, partes delegarunt, Hercules inquam, Pelops, Perseus, Theseus, Minos, eadem tempestate orbem pererrarunt, quum Josua, Gedeon, Jephthes, Samson, Samuel, aliique Hebræorum Judices insignibus ex Deo factis claruere.

Mox mutata Reipublica sanctæ forma, Samuel cum Regibus prophetarum agmina profudit, apertè dicente Scriptum, pretiosum fuisse ante eum verbum Domini raramque prophetiam. Igitur David & Salomon reges non minùs regni fastigio, quam prophetico spiritu insignes, novæ præbent initium Epochæ, quæ ab initio templi usque, ad ejus destructionem extenditur. Durante enim templo, perpetua & secundissima Prophetarum Scholæ viguerunt, quorum scripta nunc usque, æternam mundo faciem præferunt.

Cum autem eodem tempore inflati à mundi spiritu Poetæ, Homerus, Hesiodus, alii, vanissimas de Diis opiniones nationibus profeminârint, quintum hoc SECULUM PROPHETARUM POETARUMQUE cognomento insigniendum duximus. Et si enim destructo templo non desuit omnino utriusque gentis, Prophetica inquam & Poëtica, progenies, minus tamen illustres qui secuti sunt, majoribus illis fuere.

Joseph. lib. 1. contra Appionem. Plin. l. 7. cap. 56.

Porro concordè veterum testimonio constat, Pherocydem Syrum profaice orationis, Cadmum Milesum historia conditores eodem tempore ortos, quo nos Poëtarum Prophetarumque, seculum terminamus, & Sapientum atque Monarcharum, qui maxime historia digni, ætatem aperimus. Eum temporis truncatum, quum velut in exilio egit sancta civitas, SAPIENTUM vocamus SECULUM, quia tunc Daniel Sapientum Coryphæus, & Chaldaei Ægyptiique, septemque illi Graciæ, Sapientum nomine eluxerunt. Vocamus & MONARCHARUM, quia tunc primus Monarcha Babylonius, mox etiam Cyrus Persæ, maxima mundi imperia tum affectasse, tum tenuisse produntur. Nam Assyriacum imperium ante periisse vel è solo Ezechiele liquet, qui cap. XXXI. & XXXII. Assyrios inter devictarum propectarumque gentium exempla numerat, quorum regnum imperitè quidam cum Babylonico confundunt. Nam verissimè equidem

PRÆFATIO.

dem addiderim ne comparandam quidem Assyriorum esse potentiam cum illa, quam Babylonii, Persæ, Macedones, & tandem Romani possederunt. Ante Pbulum enim, ejusque filium Tiglatpbulassarem, quo loco habebimus Assyriaca ista voluptatum mancipia, quorum vel nomina ægre à perperuis tenebris vindicavit nobis Eusebius? Quantas interim Egyptiorum, quantas Arabum, quantas Palestinorum, quantas Hebræorum, Tyriorum, Æthiopum, & Syrorum opes produnt divina monumenta? Ideo secus quam vulgus Scriptorum solet, de Assyriis judicat Herodotus, eosque quingentis saltem annis superioris Asiæ tenuisse imperium memorat, & quintâ aetate, hoc est, centum quinquaginta annis antiquiorem facit Nitocri Semiramidem, quæ Nitocris Labyniti à Cyro devicti mater fuit. Non ergo mirabitur Lætor, quod Danielis secuti prophetiam, Monarchiarum quatuor initium à Nabuchodonosore Rege ducimus, quandoquidem inter quatuor summa imperia Assyrii, ut & Medici, rationem habendam non putemus. Nec vitio nobis vertet, quod septimum seculum alio charactere, quam Monarchiarum insignimus, sub quo tamen Persarum dominationis amplius quàm dimidium, Græcorum totum decurrit. Nostri enim instituti scopus est, monstratis mutationum initiis momentisque gravioribus, historiam secundum tempora divinitus constituta digerere, ut simul veritas Dei Opt. Max. & gubernationis ejus sapientia elucescant. Eam enim vel præcipuam historiae laudem credimus. Inter illas temporum porciones non minima est, quam LXX. hebdomadibus apud Danielem desinivit, intra quem limitem salutem mundo, omnisque prophetiæ, visionis & justitiæ complementum pollicetur. Hæc merito nobis septimam mundi aetatem septimumque facit seculum, id quod PHILOSOPHORUM ET SCRIBARUM haud absurda observatione nominamus. Ejus initium Esdras Scriba & Socrates Philosophus præstant. Ab illo Scribarum & Legisperitorum, ab hoc Philosophorum scholæ defluerunt. Post illum Pharisei, Sadducei, Esseni; post hunc Academici, Peripatetici, Stoici, Epicuræi, aliique Philosophantium greges pulpita impleverunt. Exit in Christum hæc periodus, non in præsepio jacentem, sed in cælis jam regnantem, quum & Judaicas nugas, & Eibnicas vanitates divina luce discussit, quum tota hebdomade, septem puta annorum spatio, ea fecit, ea docuit, quæ omnia deinceps secula, omnibus populis loquentur. Initium periodi est adventus Esdræ in Judæam, & Remp. Hebræam reparandi data potestas. Finis, septenniale Christi opus, cum medio septennio hostiam se patri obtulit, peccatum ob signavit, iniquitatem mundi expunxit: altero semiquadriennio Spiritum Sanctum in Judæos

primum,

PREFATIO.

primum, mox ingentes effudit, semenque sui regni in omnes populos sparsit, pervicacibus Judaeorum exitio interim maturatis.

Circumactis igitur septem temporum periodis, tres novae sub regno caelesti decurrunt, ut decem revolutionibus universa mundi gubernatio compleatur.

Octavam ergo facit Apocalypsis Apostolica ECCLESIA ENITENTIS; quando eam draco septiceps infestat de septem Roma collibus. Id tempus est imperii veteris Ethnici, quod in fine Caesaris Tiberii, usq; ad principium Constantini, Romam Christianismo occupantis annorum est CCLXXIX. Toto enim illo tempore pugnam & insidias faceffit Draco, gentiumq; dominos deceptioni tenet innexos. Ei nona successit aetas, post diluvium longissima pariter & beatissima, (septennium Christi excipio) quam felici Ecclesia enixu, & draconis deturbati alligatione representat Johannes Apostolus, expressoq; MILLE ANNORUM spatio determinat. Tantum enim imperii Christiani tempus est, quod à Constantino Magno usque ad Magogitam Othomanum perducitur. Hoc annorum tractu potiti rerum Christiani, delitescunt in terrarum angulis, qui postmodum progressi in mediam latitudinem, imperium corripuerunt, Turcis, Gogo, & Magogo, Nomadibus, Scythis, Tartaris. Hanc ergo VIGENTIS ECCLESIAE magnaue aquile alis volantis periodum cum S. Johanne dicimus. In quam tamen idem tria Vae celeberrima conjicit, primum LOCUSTARUM, id est, doctorum, garritu Scorpionico pungentium; Alterum EQUITUM, hoc est, potentiam barbarorum fumo, igni & sulphure grassantium: Tertium DUARUM FERARUM, vè doloque reliquias Ecclesia infestantium, salva interim aliqua Christiani imperii dignitate.

Decima & ultima periodus est Ecclesiae forinsecus obsidionem patientis, & cum feris intus confligentis. Magogitæ obsidio eam premunt foris, ferae intus oppugnant, quibus datum etiam occidere sanctos, habentes fidem Jesu & mandata Dei tenentes. Conculcatur ipsum sanctae civitatis atrium, testes lugubri veste praconium suum agunt, spiritus & sponsa clamant: Veni Domine Jesu.

Hac Epitomes nostrae digestio est ad sacras tabulas accomodata. Rerum narratarum veritatem, aut citati in margine Autores adstruunt, aut in ipso orationis decursu nominati. Exuto partium studio nudam, ut est, veritatem, in ea Dei veri gloriam sectamur. Privati iudicii parci, quotiescunque apponere aliquem calcivium decet, aut divini canonis, aut aliorum scriptorum vestigiis insistimus. Verba eorundem bene multa hac transcripta reperies. Historiarum ad liberatae Dei beneficio patria felix metam deduximus. Cetera aliis cura erunt. Tantum te initio alloqui, Lector bone, volumus: tu porrò nobiscum recta hoc rerum humanarum theatridion, Deo duce, ingredi.